Quelle: https://manuscripta.at/?ID=889
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



sacra scriptura utitur nomina parit̃ & figuras earum paucis
affigere curauimus.

As. siue assis. xii. uncie. Deunx. siue iabus. xi. uncie. Decunx. vel dextans. x. uncie. Dodrans. siue dodras. nouem uncie. Bes. siue besse. viii. uncie. Septunx. siue septus. septem uncie. Semis. vi. uncie. Quincunx siue quingus. v. uncie. Triens. siue treas. iiii. uncie. Quadrans siue quadras tres uncie. Sextans siue sextas. ii. uncie. Sescunx siue sescuntia. una uncia et semis. Uncia. xxti. et iiii. ss. Semuncia. xii. ss. Due sextule siue sescle. viii. ss. id est tercia pars uncie. Sicilicus sex ss. Sextula. siue sescle. iiii. ss. Dimidia sextula. siue sescle. ii. ss. Scripulus sex silique.

Hec inquam ponderum uocabula uel karacteres. non modo ad pecuniam mensurandam. uerum adqueuis corpora siue tempora metienda conueniunt. Unde et ratio. vel mos obtinuit. ut incantione computorum pueri. unum et duo. sepius asse et dipondio mutent. Item tressis quartis. quinquis. sexis. et cetera huiusmodi. quasi tres asses. iiii. asses proferunt. et ineundem modum sequentia numerorum quam plurima. Siue igitur horam unam. siue diem integrum. siue mensem. siue annum. seu certe aliud aliquod maius minusue temporis spacium. in xii. partiri uis. ipsa duodecima pars uncia est. Reliquas. xi. deuncem appellant. Si in sex partiris. sexta pars sextans. Quinque relique dextans. vel ut alii dextas uocitantur. Si in. iiii. diuidas. quarta pars quadrantis nomen. residue tres dodrantis accipiunt. Et huius discipline regula soluitur. quod plerosque turbat imperitos. quia philippus in expositione beati iob estum maris oceani. cottidie bis uenire describens. adiunxerit hec unius equinoctialis hore dodrante transmisso. tardius sine intermissione. siue die uenire. siue nocte. Porro. si per tria quid diuidere cupis. tertiam partem trien. duas residuas. bissem nuncupabis. Si per duo. dimidium semis appellatur. Sic et cetera que uerbo melius eloquentis. quam scribentis. stilo disci parit̃ et doceri queunt. Item de corporibus siue miliarium. siue stadium. siue iugerum particam. siue ex cubitum pedeue. aut palmum. partiri opus habebis. prefata ratione facies. Denique et in exodo dimidium cubiti semis appellatur. narrante moyse quod habuerit arca testamenti duos semis cubitos